CUM

FOEDUS NUPTIALE

à DEO ipso institutum,

VIRTUTE ET ERUDITIONE ORNATISS.

DN. JOHANNES Ehrenfried König/

CUM LAUDATISSIMA SUIQVE SEXUS VIRTUTIBUS CONSPICUA

DOMINA

SOPHIA ANNA KISLINGIA,

NATAL. WILLERIA,

solenniter iniret,

ὡς ἐν παρόδῳ delineare voluit

Anno 1706. die 8. Febr.

Cum intima qva temporalis, qva æternæ felicitatis apprecatione

M. MARTINUS Böhm.

THORUNII,
Imprimebat Johannes Conradus Rügerus, Nobiliss. Senatûs & Gymnasii Typographus.

Sto procul qui pacta jugalia
Rides potenter fœderis optimi,
Quæ de polo Sanctus Jehova
Sic fieri jubet ille dudum.
Terræ & poli, quod constituit DEUS,
Id dente iniquo rodere sit nefas:
Cudisset hic cum pegma mundi
Cura secunda fuere tædæ.
Mundi virebant principia omnia,
Augebat ortu Solquè diem novus.
Auræ vigebant flante vento
Terra polusquè simul nitebant.
Titan micabat lumine lucido
Vibrabat Auram Cynthia candida,
Fudit odores arbor alma,
Dulcia poma deditquè pomus.
Lusit natantûm pulchrum in aquis genus,
Aura volucres & pecudes viis
Lætis; sed unum defuit, quod
Vera propago DEI nec esset.
Mortalis est factus, bene nec potis
Orbi imperare is, ni socius foret,
Numen potens hoc sponte vidit,
Condidit ex latere ac Adami.
Estote, dixit, mente animæ duæ
Vivatis æterni, incolumes simul
Crescatis; Orbem natus omnis
Impleat, omne solum gubernet.
Nunc, *Sponse*, sumis tale genus Tibi
Vitæ, sacratum Conjugium subis,
Lectamquè *Sponsam*, castitate
Conjugem & pietate ducis.

Du-

Ducis decoram Conjugio tuo.
Fortuna donet mella, roſas, favos,
Fauſtum ſit & felix, & omni
Tempore lætitiam ſerenet.
Veſtræ quadrigis acceleret faci
Pronœa, donec vita ſuperſtes eſt,
Nexu liget Vos jam potenti
Gratia diva, beetquè lectum!

Lemma:

VIRTUS OMNIA VINCIT.

VIncit virtus omnia,
fateor,
SPONSE LITERATISSIME,
nec tamen propterea tædioſa inter tædas res eſt,
eandem quærere,
cum
hanc & quæſtuoſè quærere,
& invenire ipſa virtus ſit,
hujusque vinculis vinci,
ceu
quoddam gratum & ratum,
clarum & charum ***
quisque virtuoſus viriliter
exoptet, deſideret, inhiet.
Ipſe mundus in mundo immundus cerneretur,
ſi virtus ipſius vera baſis non eſſet;
Amor à more & à re diſcederet,
ſi cum virtute ſymmetriam nullam pateretur;
Pulchritudo pulchra eſſe non poſſet,
ſi ſuam ſpeciem & ſpecimen à virtute
non ſpecularetur.

Vir-

Virtus verò non prærogavit ſibi prærogativam,
omnes eam tamen venerantur, omnes mirantur
non ignorantes,
univerſum orbem orbum dici,
quem virtus ſuo ſplendore orbat.
Cum itaque virtus omnia vincat,
hanc verò & vincere & vincire
nemo poſſit,
quid mirum?
qnod & Te vincibilem vicerit,
vinctumque in vinculis teneat.
Felix itaque hæc Amoris & Virtutis Tuæ
Συμπάθεια,
SPONSE LITERATISSIME,
quæ Tibi Sponſam à DEO ſponſam
ſponte obtulit,
adeoque virtutem in amore,
& amorem in virtute;
fovebit, conſervabit, obſignabit.
Conjungat itaque conjugium veſtrum
Numen benigniſſimum
& benedictione & gratia ſua,
ut illud nunquam, niſi morte, attamen ſerâ,
mortale fiat.
Tu verò,
SPONSE HONORATISSIME,
Occurre ſemper virtuti,
quo Te ſæpius vincere poſſit,
Tu verò ſemper in vinculis triumphes!
FIAT, FIET!

In faventiſſimi animi obſidem
ſcripſit
GEORGIUS HENRICUS CZIMMERMANN,
Thorunenſis.

